Mandatum ad cives Crosnenses

Sigismundus etc.

Generosis Casparo Mlodawskij Capitaneo Smeltinensi Andreae Spil
Secretario nostro Basilio Drobijsz Joanni Kazimowskij Adriano
Sibicki Stanislao Rogozinskij Fid. nobis dilectis gratiam nostram
Regiam. Generosi Fid. nobis dilecti Intelleximus ortas esse diffe-
rentias occasione limitum sylvarum et bonorum, necnon certae partis
obstaculi in fluvio Dunaiec inter bona villae Varna Nob. Nicolai
Bartkowicz haereditaria et bona nostra Uxkel tenutae Generosi
Matthiae Lenin Capitanei Novogrodiensis quas nos componi et compla-
nari cupientes Fid. vestrae quarum fidem et in rebus agendis dexteritatem
commendatam habemus id committendum esse duximus committimusque per
praesentes mandantes eisdem ut captato inter se de temporis op-
portunitate consilio, vocatisque ad se per literas innotescentias utris
partibus ad loca differentiarum praefatarum descendant ibidemque re
oculis subiecta accepto quoque hominum terrarum testimonio neutri par-
tium faventes sed solum Deum et iustitiam sanctam prae oculis habentes
cuius conscientias vestras oneramus bona praedicta distinguant
et dislimitent scopulos de terra erigendo et signa metalia in talibus
fieri consueta faciendo aliaque omnia perficiant quaecunque dislimitationis
praefati negotium desiderare videbitur. Unius duorum vel trium ab-
sentia non obstante. Pro gratia nostra officiique tui debito.

Fundatio oppidi Magierow

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum nostra Reique publicae intersit ut per totum quidem Reg-
num praecipue tamen in terris Russiae et Podoliae quae assiduis
hostium incursionibus quotidianis fere obnoxiis sunt quam plurimae
Coloniae deducerentur Civitatesque oppida et Arces augerentur
ut ita crescentibus populis vis quoque et robur contra quosvis Chri-
stiani nominis hostium impetus consolidetur. Intellexissemus autem
Generosum Joannem Belzeczkij Aulicum nostrum oppidi Novi Magie-
row dicti in terra   consistentis in propriis et haereditariis bonis
non postremae iecisse fundamenta atque is a nobis supplex peteret, ut
huic ipsius optimae intentioni autoritatem quoque nostram adderemus.
Faciendum nobis esse existimavimus propter merita illius cum in
Serenissimos antecessores nostros tum in nos ipsos Regnumque praecipue

egregia ut eam ipsam fundationem suam ipsius conscriptam
et sigillo proprio munitam approbaremus et confirmaremus, Cuius qui-
dem fundationis praefatae literae tales erant. Joannes Belzecki
S. R. M. Aulicus notum testatumque facio per praesentes universis et
singulis harum notitiam habituris Quod cum constanter animum con-
silio meo proposuissem oppidum novum in fundo meo proprio et he-
reditario ad bona mea pertinenti ex cruda uti dicitur radice erigere, ut hoc
idem oppidum quam fieri celerrimum habeat incrementum eidem om-
nibusque ipsius incolis nunc et pro tempore existentibus has quae hic se-
quuntur immunitates dedi concessi et donavi pro seque et successoribus
suis temporibus perpetuis do concedo et dono Et primum quidem ut
ea Civitas Deum religione Catholica sub obedientia Sac. Rom.
Ecclesiae perpetuo colat neque ullas haereses et haereticos a Sancta Sede
Apostolica damnatos atque damnandos eidemque sedi recalcitrantes admittat,
neque unquam ulli hominum haereticorum ius civile impertiatur, et si
forte quicunque civium Catholicus etiam post susceptionem iuris civilis
a S. Catholica Rom. Ecclesia Apostataverit eum excludat cuius bona in
nostra successorumque nostrorum gratia consistent, utrum ea iusto pretio
redimere an vero prorsus confiscare voluerimus Eos tamen qui quam-
vis pro Scismaticis habentur ritum tamen Graecum aut Armenicum
observant activis quidem civitatis admitto a tractandis tamen
Magistratibus et officiis publicis eos abstinere volo Deinde
concedo ut hoc idem oppidum iure Saxonico et Maideburgensi omnibusque
plebiscitis gaudeat quibus Civitati Regiae Leopoliensi tam de suc-
cessoribus quam de iure dotali aliisque rebus ad bonum civitatis
ordinem spectantibus servivit. Porro Magistratum in eo instituimus
Proconsulem unum Consules sex Advocatum unum Scabinos itidem
sex qui officia et Magistratum ita per omnia gerant sicut eadem
officia geri in Civitatibus Regiis consueverant Electio vero
eorum officialium ad nos successoresque nostros ita pertinebit, quod
Scabinos ex plebe seu Communitate ex Scabinis consules Advocati
vero promiscue tam ex consulibus quam ex Scabinis dabo et Successores
mei dabunt. Et Scabinorum quidem et Consulum officium perpe-
tuum erit neque quisquam inde (nisi forte ob aliquod crimen pa-
tratum) donec vixerit moveri poterit. Proconsul vero singulis
mensibus mutabitur, ita ut a die Electionis, quae singulis an-
nis ad Festum Epiphaniarum Domini a me et successoribus
meis celebrari debet ille Primum Proconsulatum ineat quem
ego vel successores mei nominaverint deinde vero advenientibus
quatuor septimanis idem officium Proconsulare alteri consuli
sibi in ordine proximo cum signo officii per servum officii remittat

is tandem sequenti et sic per totum annum donec omnes ordine of-
ficium gesserint. Si quem in officio Proconsulis constitutum se ab-
sentare contigerit. officium cuicunq ex collegis relinquat. Advocati
vero officium annuum erit, quem ego et successores mei singulis an-
nis ex Scabinis circa electionem dabunt. Hi itaq officiales ha-
bebunt potestatem Advocatus quidem cum Scabinis Judicia ex
iuris Maideburg. Exemplo aliarumq civitatum norma banniendi cau-
sasq omnes Judiciales tam civiles quam criminales iudicandi Pro-
consul vero cum cons. bonum ordinem in Civitate instituendi omniaq
expediendi quae in alijs quoq Insignis Civitatibus ad officium
Consulare pertinent. Porro coram eisdem Advocato et Scabinis om-
nes cives incolae inquilini et advenae vocati parere iudiciumq
illorum pati tenebuntur, Appellationes vero a sententia Advocati
et Scabinorum ad Cons. a Cons. ad me et Successores meos diri-
gentur. Damus quoq eisdem Magistratibus facultatem homines
insolentes et inobedientes puniendi poenasq iure Maideburg. circumscriptas
ab eis exigendi, quas quidem Judiciales in Judicio Bannito de-
cretas inter Advocatum et Scabinos partiri minores ut sunt per-
cussionum simplicium verborum iniuriosorum et his similium ad Ad-
vocatum solum eas vero quae ex officio cons. propter transgressa
plebiscita et edicta, vel ex alijs causis ad officium cons. spe-
ctant decretas Proconsul cum cons. inter se dividant, et in usus
suos convertant. Volo autem ut eiusmodi officiales omnes iurati
sint semperq circa novam Electionem iuramenta sua mihi Suc-
cessoribusq meis et iustitiae more aliarum civitatum repetant.
Habebunt quoq ijdem cives facultatem extruendi praetorij et Bal-
nei publici tum et institarum circa Praetorium vel in foro pro expo-
nendis rebus et mercibus ex quibus quidem tam praetorio tam in-
stitis et Balneo omnes census cons. recipient, eosq in usus ci-
vitatis publicos convertent vel asservabunt ita tamen ut quotan-
nis de eisdem alijsq proventibus civilibus mihi Successoribusq
meis rationem faciant. Insuper licebit eisdem civibus omnis ge-
neris mercaturas artificiaq exercere, braxea conficere vinum cu-
iusuis generis mulsum seu medonem coctum cerevisiamq propinare
Quod vero vinum crematum attinet id omnibus passim licebit confi-
cere et propinare ad decursum postea vero illius depositionem
liberam mihi Successoribusq meis relinquo, sive illud pro me reser-
vare sive illud in civitatis usus conferre voluero. Praeterea donatione
perpetua et irrevocabili eidem oppido assigno do dono et resigno tam
ad colendos quam ad domos extruendos tens laneos fran:

cuniculos quos illi inter se mea authoritate et consensu partientur. Et insu-
per habebunt liberam incisionem in silvis meis pro usu duntaxat dome-
stico scilicet cervisia et mulso coquendis atq ignibus et focis domesticis.
Ad aedificia vero non aliter eisdem utentur quam de meo et successorum
meorum consensu. Denique nundinas et fora septimanalia celebrabunt
iuxta speciale privilegium per me apud S. R. M. Dnum meum Clemen-
tissimum impetratum. Porro Judaeos sordidum et vafrum genus homi-
num nominiq christiano ex professo infensum et insidiosum inde ex-
cludo neq ullo modo eos ferendos esse statui, ita ut illis cives
neq domos conducant neq vendant neq successores mei in oppidum
ullo praetextu vel colore admittant. Ut autem citius hoc idem oppi-
dum crescat eidem omnibusq eius incolis libertates et immunitates
tribuo ad annorum decursum 20 qua libertate stante ad nulla
prorsus onera nullos census nullasq exactiones tam mihi quam
successoribus meis teneantur. Curabo etiam ut idem apud S. R. M.
Dominum meum clementissimum ad aliquod temporis spatium
obtineam. Post exactum vero libertatis spatium mihi successoribusq
meis non amplius debebunt quam Censum annuum pro festo S.
Martini quolibet anno ex singulis laneis grossos quadraginta octo
ex medijs laneis viginti quatuor ex quarta parte lanei grossos
12. Ex domibus autem in ipso quidem municipio existentibus per
grossos decem a suburbanis vero per grossos sex. Reservo autem
mihi facultatem successoribusq meis in eodem oppido Ecclesiam ad
honorem Dei et maiestatis erigere eamq ex agris per me supra civi-
tati assignatis et undecunq mihi libuerit dotare. Volo insuper
eiusdem oppidi incolas liberos esse ab omnibus angarijs et per-
garijs laboribus podwodis vecturis pensionibus quocunq nomine
vocatis temporibus perpetuis censu de quo superius cautum est
tantum salvo. Porro ut haec mea concessa non sint irrita sed per-
petuum robur obtineant promitto me omnes has conditiones hic
expressas coram actis Lublinensibus quandocunq approbaturum eaq
omnia pro me successoribusq meis ratificaturum. In cuius rei fidem
praesentes literas manu mea subscriptas sigillo proprio muni-
vi. Datum Lipnik Chudij Magierowij die XX Mensis Januarij
Anno Domini 1591. Nos itaq supplicationem praedictam Ge-
nerosi Joannis Belzeckij ratam habentes easdem fundationis
literas in omnibus punctis clausulis et articulis per omnia appro-
bamus confirmamus et ratificamus eosdemq Cives et incolas oppi-
di praefati Magierow ab omnibus iurisdictionibus omnium Judicum
eximimus et liberamus, iurisdictioni vero et superioritati ipsius

Joannis Belzecky successorumq[ue] eius relinquimus. Ita ut cives et incole non alibi quam coram suo Advocato Advocatus vero Proconsul et Consules non nisi coram eodem Domino suo in causis magnis et parvis respondere teneantur Tribuimusq[ue] illis ultra Nundinas et Fora septimanalia per nos eisdem speciali Privilegio nostro concessa, eas omnes immunitates illis in literis superius recensitis, per praedictum Joannem Belzecky attributas et concessas Volentes eos per omnia pares esse alijs omnibus civitatibus Regni nostri Et insuper volentes eidem Joanni Belzecky praefatisq[ue] novis civibus gratiam nostram declarare tribuimus eisdem libertatem ab omnibus Solutionibus et exactionibus publicis et privatis ad annorum decursum Bono a Bono nostris alijsq[ue] angarijs perangarijs eosdem perpetuo liberos et absolutos esse volumus Harum quibus sigillum etc. Datum Cracovie in Conventu Regni Generali die X mensis martij Anno MDXV Regni

Vadium

Sigismundus etc.

Mag[nifi]co Mathie Sebinsky Praesidi Camanecen[si] vel in eius absentia locum eius tenenti Sincere nobis dilecto gratiam nostram Regiam Mag[nifi]cae Sincere nobis dilecte Conqueritur graviter nobilis Hermannus ab Unna quod Nobiles Albertus Drey et Georgius ab Vinnanis ab eiecto illo ex bonorum suorum possessione uxore interfecta supellectili omni igni studiose coniecto absumpta et ipsi graves aperte tasq[ue] inimicitias in vitae ipsius discrimen denunciant. Volen[tes] itaq[ue] huic insolentie obviam ire Sin[cerita]ti tuae Mandamus ut vadium nostrum videlicet quatuor millium aureorum Ungaricalium cuius medietatem fisco nostro alteram laeso transgressor debebit inter partes praefatas interponat eisdemq[ue] sub eodem vadio Seris inpartes atq[ue] idipsum Scripto in domos et domicilia eorum transmisso intimet et ut ab omnibus iniurijs et violentijs inter se abstineant sed si quid rei inter se habent secum iure agant Quod si qua partium minus fecerit possessata eam ad debitam satisfactionem vel ad minus iuratoriam cautionem compellat Pro gratia nostra officijq[ue] sui debito etc. Datum etc. Scribatur eisdem salvus conductus in forma consueta ab omnibus partibus etc.